



Dissertatio medico-chirurgica inauguralis de virtute medica foliorum Juglandis regiae, in scrophulosis

<https://hdl.handle.net/1874/340457>

DISSE

VIR TUTE MEDICA
FOLIORUM JUGLANDIS REGIAE
IN SCROPHULOSI.

SCORPIONE
FOLIORUM UGELINIS RECENS
ET SCOPULATORE
LITERATA KEDOCA

11.

DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA INAUGURALIS
DE
VIRTUTE MEDICA
FOLIORUM JUGLANDIS REGIAE,
IN SCROPHULOSI,

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI
GEORGII GUILIELMI VREEDE,
Jur. Roman. et Hod., Doct. et Prof. ord.,

NEC NON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU.
UT ET
NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO
PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN
MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS
ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

GUILIELMUS NICOLAUS KOOPMAN,
EX URBE MONTFOORT,
AD DIEM XIV. M. OCTOBris, ANNI MDCCXLV, HORA V.

TRAJECTI AD RHENUM,
APUD L. E. BOSCH ET FILIUM,
Academiae Typographos.

MDCCXLV.

VIRO EXPERTISSIMO

A. J. KOOPMAN,

Chirurgiam et artem obstetriciam in urbe Rheno-Trajectina facultando,

PATRI CARISSIMO,

NEC NON

MEDICINAE ET CHIRURGIAE

TUM IN

NOSOCOMIO MAGNO MILITARI HUIUS REGNI,

TUM IN

ALMA HAC ACADEMIA

PRAECEPTORIBUS DOCTISSIMIS ET CLARISSIMIS,

VIRIS ARTE PERITISSIMIS,

IMPRIMIS PROMOTORI SEMPER VENERANDO,

GUI TOT TANTAQUE DEBEO,

VIRO CLARISSIMO

B. F. SUERMAN,

Med. et Chir. Prof. Ord.,

IN PERPETUUM BENEFICIORUM NEC NON BENEVOLENTIAE SIGNIFICATIONEM

ATQUE MEMORIAM

Hasce studiorum primitias

d. d. d.

Auctor.

ОБРАЗОВАНИЕ ОЛГУ

САМОХОДЪ

ПОДРОБНОСТИ ПОДАЧИ СЫРЫХ МАТЕРИАЛОВ

ОПРЕДЕЛЕНИЯ КОЛИЧЕСТВА

СЫРЫХ МАТЕРИАЛОВ

ПРИЧИНА И ТИПЫ ОШИБОК

ПОДРОБНОСТИ ПОДАЧИ СЫРЫХ МАТЕРИАЛОВ

СЫРЫХ МАТЕРИАЛОВ

ПРИЧИНА И ТИПЫ ОШИБОК

ПОДРОБНОСТИ ПОДАЧИ СЫРЫХ МАТЕРИАЛОВ

DISSERTATIONIS CONSPECTUS.

| | |
|--------------|------|
| Introductio. | Pag. |
| | 1 |

OBSERVATIONES.

| | |
|--|----|
| Obs. 1. Cariei ossium metatarsi cum ulcere extenso cruris. | 3 |
| Obs. 2. Ulceris valde extensi cruris. | 6 |
| Obs. 3. Tumorum scrophulosorum brachii nec non colli. | 8 |
| Obs. 4. Cariei phalangis pollicis. | 10 |
| Obs. 5. Panaritii neglecti pollicis cum carie phalangis. | 13 |
| Obs. 6. Arthrophlogosium variarum, carie comitatarum. | 14 |
| Obs. 7. Glandularum lymphaticarum colli tumidarum et induratarum. | 20 |
| Obs. 8. Blepharo-ophthalmitidis scrophulosae. | 22 |

EPICRISIS.

| | |
|---|----|
| § 1. Comparantur inter se observationes propositae. | 24 |
| § 2. Exponuntur casus, quos vidit Cl. Negrier in urbe Angiers, et comparantur cum nostris observationibus. | 27 |
| § 3. Enarrantur observationes Doct. Kreutzwald, Bonnae visae. | 31 |
| § 4. Quid exspectandum de foliorum Juglandis usu medico, imprimis in scrophulosi. | 34 |

DRIEPLATIGHEID

— Voorzeker, stervelingen,
Slechts eindig is de macht, die 't onheil moet bedwingen :
Dit groeie, en 't wordt Natuur te machting eer men 't weet.
Dan baat geen poging meer, geen ijdele wanhoopkreet!
Dan mat zich 't ligchaam af, verspilt zyn laatste krachten,
En vruchtloos is 't dan ook, van kruiden hulp te wachten.
Dan, dan betreurt het hart de gouden spreuk te laat;
„Weersta, in 't eerst begin, het nog geneesbre kwaad!"

B I L D E R D I J K .

B I L D E R D I J K .

INTRODUCTIO.

Octo casus morbi, quos in nostro clinico chirurgico-ophthalmico observatos et curatos, in hoc specimine Academico, cum publico communicare vellem, morbos continent forma inter se valde diversos, sed hoc inter se commune habent, quod in omnibus Folia Juglandis regiae, nostris diebus adeo laudata, adhibita fuerunt.

Hae igitur observationes non considerandae sunt tanquam, quibus aegri obnoxii erant, morbos indicantes et describentes, verum continent historiam effectus hujus novi remedii in casibus admodum diversis. Hanc ob causam in singulis morbum obiter modo commemo-ravi, et conditionem aegrotantis eo tantum tempore descripsi, quo uti foliis Juglandis regiae coeptum est.

Minoris momenti etiam quovis die mutationes, tum universae conditionis aegrotantis, cum topicae ulcerum, cariei et arthroaciarum observatas non relatu necesse

putavi, quia istae saepius non a remedio, verum e causis accidentalibus pendebant, et extra limites, quibus ars circumscripta est, positae erant. Recte quidem ill. GAUBIUS monuit: »Versatur aeger, ut sanus, in perpetua ambientium, ingestorum, applicatorum, quin et propriarum actionum vicissitudine. Difficile autem est haec omnia et singula tam exacte statui morboso semper accommodare, ut naturam et medicum vel juvent in sanando, vel saltem non impediatur. Ista tamen cum vel sanos pro sua quaevis potestate diversimodo afficiant, multumque saepe conturbent, in aegrotos etiam, quorum non integrae vires minus resistunt, plus valebunt. Unde necessum est effectus prodire, qui morbo non recte tribuuntur.” (Inst. path. med. § 107.)

Satius igitur in hoc opusculo mihi videbatur effectus hujus novi remedii, tam felicem, quam minus faustum, in nonnullis casibus observare et modo morbum commemorare ad tempus usque, quo remedium non amplius adhibitum fuit. In sexta vero observatione ab hoc proposito recedere fas duxi, quia majoris esset momenti, quam quae non continuaretur ad mortem usque, et cui non adderetur momenti plenissima cadaveris sectio.

~~estimabili sodiom, invenit exinde irges ardip; inter
arcti miasciaj estimabimus maris; estimabimus as
carri. estimabimus libatoe ironi; estimabimus di libatoe ironi
omniumque aliorum ratiociniorum diligenter et invenient
alios miascas os alios esse miascas nos te, nisi
estimabimus alios sibi ardip; alios ita ardip; legimus
miascas, miascas sibi ardip; miascas Baymen erit alios
alios sibi ardip; miascas, miascas sibi ardip; miascas
estimabimus alios non estivando miascas estivando te inven-~~

OBSERVATIONES.

Obs. I. P. K. annos 25 nata, ex pago Vreeswijk, ni prima sua juventute laboravit tinea capitis, nec non blepharo-ophthalmia scrophulosa, quo utroque morbo sponte liberata est, quum annos nata 13, leviori causa externa laesa, ulceratione imae partis cruris dextri aegrotare coepit, quam sensim sensimque latitudine et profunditate accrescentem tandem comitabatur caries in ossibus tarsi. Huic vitio aegrotans durante spatio duodecim annorum, quoad potuit, auxilium chirurgico-medicum quaesivit, sed frustra. Semel ad statum faustum pervenerat, protracto usu seminis phellandrii aquatici; verum serius hoc quoque remedium nihil valuit. Saepius etiam miserae amputatio hujus membra proposita est.

Auxilium imploratum venit die 19 mensis Februarii 1844 in Polyclinico-chirurgicum Academicum. Conditio erat sequens: Est temperamenti lymphatico-cholerici,

constitutionis tenerae et debilis, statura parvae: nigra capillis, oculis, et superciliis; cutis squalida colore; menses justo tempore obtinent.

In ima parte et superficie interna cruris dextri, valde consumpti, ulcus appetet, forma irregulare, instar manus modicae, marginibus praeditum interfossis, ex rubro coeruleum colorem praebentibus. Basis hujus ulceris est plana, aspectu lardacea, granulationibus laxis obsessa, ichorem valde foetidum secernens. In eius margine inferiore canalis fistulosa ampla invenitur, quae ad ossa tarsi conductit carie affecta. In vicinitate totius ulcerationis innumerae conspiciuntur vesiculae lympham acrem pellucidam continentes. Caeterum in functionibus perficiendis nullae aberrationes observantur, appetitus bonus est, digestio naturalis.

Quoniam omnia adhibitionem favebant foliorum Juglandis; remedium ei tam externum, quam internum praescribebatur: nempe extractum pro usu interno, hac simplici ratione.

R. Extract. fol. Jugland. dr. ii.

aq. distillat. unc. v.

m. d. s. 5 per diem cochlear.

Quotidie ulcera bis obligabantur linteo carpto humectato decocto diluto foliorum Juglandis regiae, ex una uncia ad decem. Apparatus deligationis saepe per diem hoc fomento est humefacta. Intervallis iteratis illud fomentum in canalem fistulosam injiciebatur, quae deinceps linteo carpto, eodem decocto madefacto, implebatur. Caeterum aegrotanti summa commendabatur quies.

Haec curandi ratio perpetuo continuabatur ad diem usque 13 mensis Junii, additis tantum pilulis blande laxantibus cum rheo, quoties alvus clausa erat, cui aegrota valde praedisposita videbatur. Eventus fuit hicce: duos priores menses ulcus eandem retinuit magnitudinem: secretio ichoris increvit etiam primis octo diebus, post adhibitum remedium, malam servantis qualitatem. Post aliquod temporis intervallum quantitas secreti puris proportione magis convenit cum extensione ulceris. Pus ipsum interea qualitate multo melius reddebaratur. Interdum particulae ossis carie affecti exfoliantur, quae volsellae ope ex canali fistulosa tolluntur. Granulatio fit activior. Margines eundem servant peculiarem colorem.

Duos posteriores menses faustus remedii effectus fuit evidens: ulcera valde activa apparent. Granulatio laete rubra est. Margines quoque, felicis huius actionis participes, demiserunt colorem torpidum et magis magisque confluunt in superficiem ulceris. Processus cicatrizationis, quae a peripheria centrum versus pergebat, adjuvabatur marginibus ulceris fasciculis obducendis, unguento cerato illinitis, et tam cito obtinuit, ut utraque ulcera, nec non parietes canalis fistulosae, die 13 mensis Junii 1844 cicatrice pulchre clausa fuerunt. Cicatrix illa, quae est contextus tenacis, albidi coloris, concrevit cum periosteo propter insignem consumptionem partium subjacentium. Effectus generalis soliorum juglandis etiam manifeste apparuit in habitu aegrotantis; cognatae et amicae felicem ejus atque secundarem valetudinem praedicabant.

Locus quondam carie affectus ad volumen multo minus

extensem redactus et quotidie perparvam quantitatem puris bonae qualitatis praebet, quam ob causam curatio per aliquod tempus adhuc continuatur.

Die 13. M. Septembris 1844: parvus locus cariosus huc usque non sanatus est; inde tamen illi omnino nullum oritur impedimentum in perficiendis officiis quotidianis. Ulcus constanter sanatum manet, et aegra sanata laeta domum rediit.

OBSERVATIO SECUNDA.

A. v. A. Ultra-Trajectinus, 19 annos natus, prima sua juventute laboravit tinea capitis, ophthalmia et rachitide. Quinto vitae anno subito apparuit abscessus in fossa poplitea, cum insigni affectionum morbosarum levamine, dum tandem a tinea capitis et ophthalmitide, quae postrema maculas in cornea reliquit, sanabatur. Iste abscessus sponte apertus est, ulcus quidem relinquentis, quod tamen post aliquod tempus auxilio chirurgico ad sanationem perductum est. Mox vero, causa nulla cognita, ulcus nascebatur in superficie antica cruris, mox describendum. De familia sua nihil aliud commemorare valet, quam quod pater ejus jam ante aliquod tempus defunctus est, etiam ulcere valde extenso cruris dextri laborans, et quod mater ejus interdum haemoptysi obnoxia erat. Sorores et fratres laborant tinea capitis.

Aegro die 14 mensis Junii 1844 in Nosocomio recepto, sequentia inveniuntur. Est temperamenti lymphatici; constitutionis modice irritabilis; capilli sunt flavi; oculi coerulei; cutis candida; labium superius longum; glandulae lymphaticae colli tumidae; caeterum prospera admodum valetudine fruitur. Tibiae sunt valde antrorum curvatae.

In superficie antica cruris sinistri valde emaciati ad est ulceratio insigniter extensa, totam fere tibiae longitudinem occupans. Jam tredecim et ultra annos viget, pertinacissime multis curandi rationibus restitut. Margines ulceris sunt crassae, et callosae; cutis in ejus vicinitate est normalis. Basin habet aliquatenus fungosam, adspectum laete rubrum, et obducta est tenui non male oлenti pure. In superiori parte ulceris apparent duo loca, tanquam insulae, praedita cute sana et circumdata vivide rubris marginibus. Ulcus perparum est sensibile.

Praescribitur ei die 14 mensis Junii 1844 extractum foliorum iuglandis regiae in mixtura, ad drachmam unam in quinque uncias aquae solutam. Extus medicamen in decocto tanquam fomentum administrabatur ex uncia una ad colaturam unciarum octo.

Cum usu huius remedii, aucta sensim dosi, aeger octo menses absque intervallis, sub accurata quiete, apto vitae regimine et idonea diaeta continuavit. Quotidie ulcus bis deligabatur, propter copiosam puris secretionem, apparatu deligationis accurate fomento supra dicto humectato. Eventus fuit hicce: secretio puris profusa nec non tenuis et in genere parum elaborata eius qualitas durantibus primis duodecim vel quatuor-

decim diebus immutabilis mansit. Postea verum parcior atque qualitas faustior facta est. Ulceris superficies in genere faustiorem praebuit adspectum. Margines callosae fiebant moliores et humidae; sensim sensimque nunc cicatrisatio a marginibus inde intrat, qui processus adjuvabatur illis contegendis fasciculis linteis, linimento ex oleo olivarum et aqua calcis parato imperitius. Post mensem unum ulcus sub illa medicatione unum et dimidium pollicem in toto ejus ambitu diminutum est. Haec curandi ratio deinceps per longum tempus continuabatur, verum cum porro sine fructu esset, et ulcus in eadem conditione immutatum maneret, remedium relinquitur et ad alia refugitur.

OBSERVATIO TERTIA.

Die 18 mensis Martii 1844 comparuit in Polyclinico chirurgico G. D. B. ex pago Werkhoven, laborans duobus tumoribus scrophulosis, altero in supra parte et exteriore latere antebrachii, in inferiore parte brachii altero. Tumores isti jam sex menses extiterant, et absque ulla causa cognita initium ceperant. Attactu et ipsa pressione parum dolent, solidi sunt, nullam fluctuationem praebent; cutis eos tegens est normalis. Praeterea tota colli superficies antica supra laryngem, ab uno angulo ad alterum maxillae inferioris, multis crassis crustis obducta erat, sequela degenera-

tarum et suppurantium glandularum lymphaticarum, quibus impedita est supina flexio capitis. Haec morbos affectio iam per duos annos durabat. Est temperamenti lymphatico-cholerici, constitutionis erethicae, 14 annos nata: capillos profunde fuscos habet, oculos nigros, splendentes: cutem squalide pallidam; reliquias variolarum ostendentem. Laborat scrophulosis valde evoluta.

Adhuc nulla medicamina adhibita fuerunt. Quamvis conditio erethica usui foliorum iuglandis non favere videretur, tamen remedium tentatum est, atque illi die 18 mensis Martii sequens praescriptum fuit:

R. Extract. fol. Jugland: dr. i β.

aquae distill. u. vii β.

m. d. s. 5 per diem cochlear,

Eventus, quem in hoc casu praebuit remedium, post curationem quadraginta et octo dierum, eo redit: durante hac curatione tumor in antebrachio in inflammationem transiit: topica antiphlogistica, contra hanc adhibita, nihil valuerunt; processus pergebat, venitque suppuratio cum formatione abscessus, qui scalpello apertus effundit modicam quantitatem ichoris granulosi. Apertura cito degeneravit in ulcus marginibus interfossis praeditum. Ulcus istud obligabatur decocto Juglandis, quo deinceps assidue humectabatur.

Tumor in brachio per aliquod tempus eandem retinuit conditionem; postea vero etiam infaustissimus in eo consecutus est decursus. Ulcera magis magisque increverunt; pus fuit tenue et discolor, ejus secretio parca: cingens

cutis ex coeruleo rubra; in illa sensim sensimque vesiculae formabantur acrem lympham diaphanam continentes, quae interdum disrumpabantur et parva ulcera relinquebant. Serius aegrotans conquesta est de vehementibus doloribus et ardore in suprema parte antebrachii; ulna sub olecranon aequabiliter tumida erat, et dura tactu, quo aegra valde cruciabatur. Topica antiphlogistica curatio extus exceptit remedium, intus quoque juglans non amplius continuabatur et permutabatur cum oleo Jecoris Aselli, eo magis, quoniam huc usque etiam nullam omnino efficacitatem exseruerat in tam valde degeneratas glandulas conglobatas colli.

Haec fuit conditio medio mensis Maji, quae ab eo inde tempore sub continuo usu olei Jecoris Aselli perquam prospere mutata est. Mense Julio prima vice menses obtinuerunt, atque ejus conditio adeo melior reddebatur, ut ceciderint crustae colli, atque ulcerantes glandulae lymphaticae perfecte sanatae sunt. Tria parva superficialia ulcuscula, quae celerem promittunt sanationem, adhuc tanquam reliquiae priorum ulcerum brachii et antebrachii remanserunt.

OBSERVATIO QUARTA.

A. D. B. Ultra-Trajectina, annum agens decimum. Temperamenti lymphatici, constitutionis erethicæ, sed debilis, capillos et oculos nigros splendentes habens,

cutis colorem squalide pallidum. Inter Nosocomii aegrotantes recepta est. Jam aliquod tempus laboravit digito-arthrocaciae pollicis sinistri, quae transiit in suppurationem et exulcerationem. Ad latera articuli morbosi observantur duo ulcera fistulosa, quae conducunt ad phalangem carie affectum. Articulus morbosus tumidus est, parum dolet et offert mobilitatem quandam ptaernaturalem. Pollex est elongatus. Jam per tres menses hoc morbo adfiebatur, intus utens oleo Jecoris Aselli, absque ullo successu.

Die 24 mensis Martii 1845 novi remedii administratio coepit, et praescribebantur mixtura et fomentum, uti sequitur;

R. Extract. fol. Jugland. dr. i.

Aq. coctae unc. viii.

Syr. liquirit. dr. iv.

m. d. s. 5 per diem cochlear.

R. Fol. Jugland. u. i.

Coq. s. q. aq. col. u. viii.

d. s. usui externo.

Cum ea curatione, dosibus adscendentibus, continuabatur usque ad 15. m. Maji, hoc eventu: secundo die post adhibitam Juglandem ulcera fistulosa penitus referta fuere granulatione; profusa secretio ichoris tenuis, valde olentis, mutata est in parcam puris crassi bonae indolis. Cariei odor vix percipitur.

Inexspectatus ille pro tam brevi tempore remedii effectus, promittebat promtissimam sanationem: verum eheu! quam salutarem initio Junglans exseruerat effica-

citatem in vitium , non continuo huic exspectationi respondit. Vitium nunc semper eandem retinet conditionem , dum caries ope stili manifeste percipienda manet.

Usus hujus remedii per aliquod tempus continuabatur ; verum sine ullo in vitium mansit effectu , relinquebatur , atque excipiebatur pulveribus Plummeri. Cum his pergebat ad diem 21 m. Julii , sed minime bono eventu. Ab ulteriori curatione aegrotans se post haec subtraxit. Rediit tamen die 23 m. Augusti. Per id tempus vitium insignes fecerat progressus. Ulcera fistulosa commutata erant in magis superficialia, ast majora , in quorum fundo carie valde affecta phalanx erat conspicua et palpabilis. De novo ei juglans tam intus quam extus praescribebatur , sequentibus rationibus:

R. Fol. Jugland. u. β.

Inf. s. q. aq. col. u. viii.

add.

Extract. ejusdem dr. ij.

mell. commun. u. i.

m. d. s. omni hora cochlear.

R. Fol. Jugland. unc. i.

Coq. s. q. aq. ad col. unc. viii.

d. s. fomentum.

Sub ea curatione morbus cito eventum dedit. Phalanx cariosa paulatim a ligatura sua liberabatur et die 2^o. m. Sept. ope volsellae dimovebatur. Hoc peracto , ulcera diminuta sunt , nec non secretio puris , quod melioris indolis evasit.

Die 17. ejusdem mensis. Ulcuseulum exigui admo-

dum momenti, promittens celerem sanationem, adhuc exstat, altero penitus sanato. Pollex aliquatenus abbreviatus est, ceterum non deformatus.

OBSERVATIO QUINTA.

M. B. Ultra-Trajectina, iam quatuordecim dies panaritio pollicis manus dextrae, ex causa incognita orto, laborans, cui cataplasma emollientia opposuerat, eo eventu, ut vitium in suppurationem et exulcerationem transierit; die 11. mensis Aug. in Polyclinico nostro chirurgico auxilium imploratum venit. Est 18 annorum, temperamenti lymphatico sanguinei; constitutionis satis robustae; capilli sunt flavi, oculi coerulei, cutis aspera, habitus non valde scrophulosus.

Pollex est tumidus, parum dolens, cutis rubra et nitens; epidermis separata, dermis subjacens suppurans. In apice pollicis apparet ulcus parvum, rotundum, ex quo, pressione, pus spissum sanguinolentum effunditur. Ope stili deprehenditur caries phalangis. Libere effusione puris promovenda apertura ulceris incisione amplificatur, aufertur epidermis dissoluta et deligatur modica opplatione cum linteo carpto, dum cutis denudata obtegitur linteo oleo olivarum impertito, et fasciae idoneae applicantur aqua humectatae. Hac de re aegrota tres septimanae subsequentes in clinico memorato curabatur, eo eventu, ut praesens caries, nec

non ulcus pertinax sanationi obstiterit. Hic quoque Juglans adhibebatur, tam extus in decocto, quam intus in mixtura, ex extracti drachmis duabus in quinque uncii aquae coctae solutis parata, cum eo eventu felici, ut intra viginti dies locus carie affectus exfoliatione insensibili sanatus esset; dum diminutum ulcus partium mollium granulatione luxuriante ulteriori sanationi aliquatenus oppugnat. Hoc quotidie lapide infernali attingitur et cito sanatum erit.

OBSERVATIO SEXTA.

H. S. 10 annos nata, Ultra-Trajectina, temperamenti lymphatici, constitutionis tenerae, capillos habens flavos, oculos coeruleos. Auxilium quaesivit in clinico nostro chirurgico. Ante septem annos morbillis laboravit, unde remansit sensibilitas adacta viarum aërisferarum, quae tamen cessavit, serius orto tumore glanduloso in brachio. A prima inde aetate puella tineam capitinis habuit, quae, quum annos vigisset, ultimo tempore evanuit crebris lotionibus aquae saponareae. Pater ejus in carie tibiae sinistrae multos consumpsit annos, nec non pueritiam item in tinea capitinis. Matri vero indesinenter prospera valetudine gaudere licuit. Ad reliquos huius familiae pueros pertinent filiolus, laborans tinea pertinaci, atque filiola, quae etiam tineae et intumescentiae glandularum conglobatarum in variis locis corporis est obnoxia.

Retro pulso ex imprudenti cura exanthemate capitis, brevi post, mense Augusto anni 1843 nacta est puella tumorem instar ovi gallinacei ad latus externum brachii, manum latum supra olecranon, levamini irritatae conditionis pectoris. Tumor iste fuit durus, fixus, non dolens, sana cute obductus. Hunc puella octo menses neglexit, quippe qui in eadem maneret conditione, donec mense Aprili anni 1844 indoluerit, atque, suadente medico, cataplasmata emollientia ei applicarentur. Quum ad maturationem pervenisset, tandem arte aperiebatur, quo exitus patebat modicae quantitati puris discoloris, granulosi, sanguine commixti. Postremo aertura degeneravit in ulcer scrophulosum.

Mense Majo ejusdem anni abscessus apparuit in vicinitate articuli pedis sinistri, qua de causa se contulit ad Nosocomium Academicum nostrum, ubi cultro aperiebatur, atque deinceps in Polyclinico chirurgico curabatur. A quinto inde die usque ad 17 m. Junii ei praescribebantur pulveres Plummeri, absque conspicuo successu. Quoniam omnia favebant, curatio cum Jugglante regia instituebatur die 17 ejusdem mensis; praescribebantur ei extractum in mixtura et decoctum profomento. Haec curatio continuabatur ad diem 26 ejusdem mensis sine visibili mutatione conditionis aegrotae; post hanc se ulteriori curationi substraxit.

Rediit 25 m. Septembris eiusdem anni ad Polyclinicum Academicum et suscipiebatur in clinicum chirurgicum, in hacce conditione perquam infelici. Aegra nunc laborat diversis Arthroplogosibus originis tuberculosa, scilicet 1. *Anconarthrocacia* sinistri brachii cum modice extenso ulcere supra hunc articulum, cariei inferioris

partis ossis humeri comitata. 2. *Cheirarthrocacia*, quae in statu nascenti versatur, et 3. *Pedarthrocacia* item cum ulcere scrophuloso ad latus huins articuli, absque carie. Variae denique glandulae lymphaticae colli sub maxilla inferiore sunt tumidae. Conditio generalis aegrotantis est debilis et languescens. Jam curatio regularis instituitur cum apta diaeta et idoneo vitae regimine, ei praescribitur nostrum remedium sequenti modo

R. Inf. fol. Jugland, u. β. ad u. vi.

Extract. ejusdem dr. i.
m. d. s. 6 per diem cochlear.

et decoctum hujus remedii fomentationis instar pro locis apertis.

Biduo post *Cheirarthrocacia* transit in suppurationem, articulus iste valde dolet, cum tensione magna; cutis tegens inflammatione erysipelatosa est correpta. Abscessus formatus cultro aperiebatur die 28 m. Septembris. Effluit ichor tenuis, disolor, granulosus, foetidus, dum stili ope jam caries ossium metacarpi sese ostendit.

Curatio cum remedio adhibito per amplum sane tempus continuatur, quoniam eventus non inprosper erat. Ulcera semel per diem (suppuratione non profusa) deligabantur, linteo carpto, humectato in decocto foliorum Juglandis, et deinceps apparatus deligationis interdum eo humectabatur. Intus remedium dosibus caute crescentibus administratur.

Ad diem 5 m. Novembris absque molestiis non tantum perfertur nostrum remedium, sed loca aperta bene sese habent. Jam vero ab eo inde tempore infusum prae-

scriptum Juglandis cum demulcentibus et anodynis conjungere necessum fuit, quia diarrhoea suscitabatur, propter adauictam sensibilitatem membranae mucosae intestinalis. Etiam coactum est ab inde die 21 usque ad 28 m. Decembris, propter praetereuntem affectionem pectoris catharalem, ab adhibitione Juglandis interna cessare et eam permutare cum usu demulcentium et expectorantium.

Praeter illa intervalla aegrotac tam intus quam extus, ab inde die 25 m. Sept. anni 1844 ad usque diem 29 m. Martii anni 1845 remedium administratum fuit sequenti effectu: Temporibus variis nascuntur nova ulcera circum articulos affectos, dum nonnulla eorum, quae adsunt, in sanationem transibant. Plus semel exfoliatio obtinuit particularum necrosi affecti ossis, quae per canales fistulosas ad eas conducentes removebantur. Puris secretio fuit parciор et varians indole.

Mense Januario de novo apparuit quarta arthrophlogosis et quidem *Omalgia*. Articulus humeri insigne doluit, tumuit, abscessum constituens, quem item necesse fuit arte aperire. Apertura facta eidem materie tuberculosa exitum praebuit, uti in praecedentibus abscessibus obtinebat. Sensim mutabatur novum hoc vulnus in ulceris, quod se extendens tandem etiam cariem spinae scapulae sequelam habuit.

In genere folia Juglandis initio melius ferebantur quam serius. Prius quidem vires digestrices excitabantur, alimenta bene et facile digerebantur, appetitus augebatur, atque aegra ad adspectum validior et animosior erat. Postea vero, quum glandulae meseraicae et membrana mucosa intestinalis morbi participes fiebant, istud re-

medium diarrhoeam effecit. Quoniam deinceps adacta sensibilitas mucosae intestinalum in diem increvit, et Juglans, licet involuta, dolores ventris et pertinaciter diarrhoeam produxit, quibus vires aegrotantis languescebant, atque eo magis, quoniam nullam satis specificam efficacitatem in hanc tam valde inveteratam formam scrophuloseos et tuberculoseos exserebat, remedium totum removebatur et permutabatur cum curatione symptomatica, quia haec unica erat, quae ejus vitam superstitem aliquatenus tolerabilem reddere posset et cruciatus mitigare.

Huic observationi hic finem imponere possem, cum amplius non contineat, de quo agimus, remedii historiam; magni tamen momenti casus in causa est, cur ulteriore decursum morbi et praedictum exitum commemorare fas putem.

A die 11 m. Martii usque ad 11 m. Maji anni 1845 permanent cruciatus. Sensim sensimque magis profusa suppuratione, doloribus et diarrhoea in dies debilitatur aegra. In spatio huius temporis succedunt sibi sequentia symptomata: cephalgia vehemens fixa, et perseverans, regionem frontalem et quidem supra orbitalem occupans; his pedetentim accedunt: Exophthalmus oculi dextri, cum pupillis amborum oculorum valde dilatatis. Palpebra dextra superior versatur in ptosi; coecitas plenaria adest et anosmia; membrana schneideriana sicca. Dextrum dimidium faciei paralysi affectum. Queritur de vehementibus doloribus in hac parte, nec non de vehementi dolore auris dextrae cum otorrhoea et surditate; lingua non paralysi affecta, nec etiam extremitates. Intellectus non obnubilatus, recte respondet ad rogata

proposita. Non est praeter modum soporosa, somnus peragitur sine delirio. Memoria non impedita. Ceterum recubat immota, neglecta, sine ulla cupiditate. Porro conspicitur exanthema herpeticum in tota superficie lateris interni corporis, excepta facie. Lingua valde obsessa aphthis. Vita tandem sub gravi diarrhoea, intolerabili siti et somno tranquillo die 11 m. Maji huius anni extinguitur.

Sectio cadaveris hora 38 post mortem fuit instituta.

Cadaver valde emaciatum. Color pallidus, oculi semi clausi, artus inferiores abdomen versus retracti, exanthema herpeticum in pluribus locis cernitur.

Cranio aperto ostenditur dura meninx sana, excepta ea parte, quae superficiem cerebralem partis orbitalis ossis frontis obtexit, ubi fixe cohaeret cum fungo cerebri, ita ut sine dilaceratione huius massae ab eo non detrahi possit. Levis exsudatio seri turbidi sub arachnoidea obtinet.

Lobis anterioribus cerebri a se invicem separatis, conspicitur massa tuberculosa instar ovi columbini, ex infima parte hemispherii dextri prodiens. Extenditur a media parte laminæ cribrosae ossis ethmoidalis usque ad sellam turcicam et cingit utrosque nervos olfactorios, qui sunt hypertrophici et degenerati. Pars antica huius fungi, quae occupat partem orbitalem ossis frontalis, penetrat in cavitatem oculi, quoniam haec pars osteomalacia affecta erat.

Ejusmodi fungus invenitur in superficie antica et superiore partis petrosae ossis temporalis, quae carie est affecta, ita ut immediate a cranio inde in cavitatem

tympani pergi possit. Periosteum internum hoc loco destructum est. Pars interna huius fungi premit ganglion Gasseri ad partem lateralem corporis ossis ethmoidalis, illudque pro parte cingit. Supra hunc fungum sursum iens, ubique infiltratio tuberculosa substantiae medullaris et corticalis cerebri usque ad piam meningem cernitur.

In utrisque pulmonibus, praecipue in eorum lobis supremis, inveniuntur tubercula solitaria parva, quorum nonnulla sunt dura, nonnulla in centro emollita.

In cavitate ventris inveniuntur glandulae meseraicae adactae et induratae.

Articulationes morbose affectae variis modis degeneratae et devastatae. Ankylosis partialis adest articulationis cubiti, cum carie imae partis ossis humeri, et infiltratio materiei granulosae ichorosaeque in partibus mollibus ambientibus, sic etiam ad articulationem manus inveniatur pars inferior radii et ulnae tumida et carie affecta.

Articulationi pedis caries pepercerat, dum in articulatione humeri maximam partem spinae scapulae ad acromium usque affecerat.

OBSERVATIO SEPTIMA.

A. M. Ultra-Trajectinus, 16 annos natus, lymphatico temperamento, constitutione parum irritabili, parva statura; iam diu curatus est in Poly-clinico chirurgico

ob digito-arthrocaciam, nec non ob parvum quendam instar fabae tumorem, durum et mobilem, genae; ple- raeque glandulae conglobatae colli induratae et tumidae sunt. Antea laboravit tinea capitis, quae calvitiem aliquam reliquit.

Digitio-arthrocacia, adhibitis hirudinibus, inunctionibus cum unguento Hydrargo et interno usu olei Jecoris Aselli sanata. Tumor genae segnius increvit, ita ut tandem extirpatione sublatus sit, atque cysticum esse apparuerit, qui verosimiliter e glandula quadam degenerata evolutus est. Factum vulnus per primam intentio- nem ad sanationem redigere tentatum est. Haec tamen minime cessit, vulnus transiit in oblongum, parvum ulcus, quod octo septimanas omnibus extus adhibitis auxiliis adversabatur. Ex eo seccernitur perparva puris, quotidie vero modica quantitas albidi viscosi muci, saliva valde similis; caeterum ulcus laxe spectatur. Aegrotans etiam queritur, quovis meridie se hora cir- citer quarta accessum febris intermittentis sentire.

Die 10. m. Augusti 1845 ei Juglans praescripta est, ut sequitur:

R. Extract. fol. Jugl. dr. i.

Aq. coctae u. vi.

Syr. liquirit. dr. ij.

m. d. s. omni hora cochlear.

R. Fol. Jugland. u. i.

Coq. s. q. aq. col. u. viii.

d. s. usui externo.

Quum hanc curationem septem dies subiisset ulcus genae tenui cuticula clausum est, secretio lymphae spissae iam aliquot dies cessaverat. Glandulæ lymphaticæ colli, quæ usu olei Jecoris Aselli in eadem manserant conditione, manifeste minores, mobiliores et molliores evaserunt. Accessus febris intermittentis quotidianaæ jam tres dies desierunt.

Die 28°. mensis Augusti, parvum exiguum ulcus iterum recrudescit, sed parum metus exhibet ulteriori sanationi. Evidens manet Juglandis efficacitas prospera in glandulas lymphaticas morbose affectas. Curatio continuatur.

Parvum ulcus non quidem clausum, exiguum vero fuit die 5 m. Septembris. Glandulæ tumidae colli fere evanuerunt.

OBSERVATIO OCTAVA.

K. J. Ultra-Trajectinus, annos 14 natus, temperamento valde lymphatico, modice evoluta corporis statura, et adspectu valde scrophuloso, capillis flavis, oculis nigris. Cutæ candida, vultu admodum tumido, naso crasso, maxilla inferiori lata, in nosocomium nostrum recipiebatur. Laboravit quondam tinea capitis, cuius hodie nulla rudimenta supersunt. Ante sex annos nactus est ophthalmiam amborum oculorum, cui jam per aliquot menses in nosocomio Academicō opponebantur hirudines, pulveres Plummeri et inunctiones cum ungu-

ento Authenritii, sub qua tamen curatione, sanatio nihilo minus non processit. Semel insigne symptomatum levamen obtinuit, cui tamen cito exacerbatio successit.

Die 27 m. Augusti curatio cum Juglande inchoata est. Status morbi fuit sequens: palpebrae valde turgidae, earumque margines ex coeruleo-rubrae. Cilia inter se muco viscoso cohaerent. Existit vehemens photophobia cum insigni lacrymarum profluvio. Aperienti oculos, quod tamen aegro perquam molestum est, videtur conjunctiva palpebrarum valde rubra; fasciculi vasorum sanguiferorum sanguine turgescentium extenduntur ad glandulas Meibomianas aliquatenus tumidas. Conjunctiva bulbi oculi minus particeps est huius status congestivi. Amborum oculorum corneis maculae adsunt, sinistri insuper uleus parvum.

Illi praescribuntur infusio foliorum Juglandis regiae, ex dimidia uncia ad colaturam unciarum octo, parata cum additione extracti ejusdem drachmae et mellis communis unciae unius, cuius omni hora cochlear administretur; et collyrium ex radice althaeae et herba hyoscyami paratum.

Die 30. m. Augusti aegrotantis conditio manifester melior redditia erat. Palpebrae tumefactae decreverant; oculus ipse absque molestiis aperire poterat. Photophobia fere aberat, profluvium lacrymarum exiguum erat.

Die 18. m. Sept. sanatus reliquit nosocomium.

EPICRISIS.

§ 1

Comparantur inter se observationes propositae.

Si diversos morbi casus in priori parte hujus dissertationis communicatos inter se comparamus, eventus administrationis foliorum Juglandis regiae non sunt iidem. In nonnullis remedium habuit effectus egregios, nullos vero in aliis. Ita eventus in observationibus prima, quinta, septima, et octava universim valde fausti habendi sunt. Constat in primo casu, remedium amputationem praevenisse. Folia enim Juglandis ulceri, quod iam tot annos continue viguerat, carieique conjunctum, tot auxiliis adversabatur, egregium fuere remedium; et verosimiliter justum pro usu huius medicaminis tempus aderat, cum status cachecticus in toto aegrotantis habitu externo conspicuus esset. Duplex igitur valde faustus effectus Juglandis hic negari nequit, quoniam in universo digestionem et assimilationem corrigebat, et vitalitatem adeo in favorem

excitabat, quo satis efficax fieret ad tam inveteratum processum tollendum.

In casibus quarto, septimo et octavo, effectus quoque laudandi fuerunt. Caries post panaritium saepe non cessat, uti notum est, nisi perdata phalange, magnam deformitatem relinquens. Hic minime. Remedium paucis diebus malum vicit, et cicatrix parum deformis hinc sequela fuit. In casu septimo Juglans plus valuit quam hue usque oleum Jecoris Aselli. Hic quoque virtus febrifuga istius remedii clare patuit; quam vim etiam Vir Cl. Negrier observavit in casu quodam, ubi febris intermittens tertiana post iteratum usum sulphatis chininae quarta vice redibat. (1) In casu octavo faustus effectus remedii jam tertio post adhibitionem die evidens fuit, frustra licet hic contra istam ophthalmitidem iam diu alia antiserophulosa experta fuissent.

In quatuor reliquis casibus Juglans universe minorem laudem consecuta est: nec tamen hic eventus ubique aequo infasti fuerunt. In casu quarto remedium dedit manifestum impulsu sanationi, sed deinceps conditio aegrotantis eadem fere mansit. In casibus vero tertio et sexto juglans non satis specificam virtutem possedit, qua tam valde inveteratam scrophulosin (quemadmodum praesertim in casu sexto) vincere posset; evidens tamen hic quoque patuit progressum morbi refrenans remedii virtus. In secundo casu efficacitatem habuit exiguum, tamen non prorsus nullam. Manifesti fuere salutares juglandis effectus in nutritione et assimilatione, quibus indicio erat correcta sub ejus usu

(1) Vid. Archives générale de Médecine mens. Majo et Junio 1843.

puris secretio. Quod vero plenam non attulit sanationem, hoc neutquam penitus in ipso remedio positum sit, necesse est. Natura ulceris, ex ipsius diurnitate (nam per tredecim iam viguisse annos) verosimiliter maxime erat mutata, forsan in malignorem periosteum fungositatem, in externo ulceris habitu aliquo modo iam conspicuam; qualis infaustissima conditio remedio nostro sanari non poterat.

Sequentia igitur breviter notanda veniunt de variis nostri remedii effectu medico in expositis variis morbis.

1. Optimus erat effectus in carie profunda cruris cum ulceribus duobus valde extensis, quae vitia per diocedim annos aegrotam excruciauerant. Foliis Juglandis intus et extus adhibitis perfecta sanatio inde est secuta.
2. Effectus erat bonus in ulcere fungoso valde extenso cruris, sed temporarie modo. Emendatum est ulcus et limitatum, nequaquam sanatum.
3. Infaustus erat evenitus in glandulis lymphaticis tumidis et degeneratis collum ulceratione, et tumoribus scrophulosis brachii.
4. Optimus erat effectus in carie phalangis pollicis, initio tantum administrationis; postea vero inefficax, tandem obtinuit sanatio, quamvis non recte pateat, utrum ea propter an post administrationem.
5. Faustum dedit effectum in corrigenda causa constitutionali, quae carie phalangis latebat, et patebat esse scrophulosa, cui indicio erat sanatio vitii localis intra paucos dies.
6. In inveterata forma scrophuloseos et tuberculoseos, ubi hostis initio varias elegerat articulationes et tandem cerebrum, pulmones et glandulas mesentericas, inefficax esse debuit Juglans, ut facile patet, ad longam adeo malorum seriem vincendam.
7. Faustus erat eventus in glan-

dulis conglobatis tumidis et induratis colli. & denique non minus faustum observare nobis licuit effectum remedii in blepharo-ophthalmitide scrophulosa.

§ 2.

Exponuntur casus, quos vidit Cl. Negrier in urbe Angiers, et comparantur cum nostris observationibus.

Liceat mihi octo casuum, a me observatorum, mutuam comparationem proseQUI, eosque conferre cum experientia de Foliis Juglandis regiae in scrophulosis Cl. Negrier, Professoris in Academia Medica elementari in urbe Angiers. Cognitum est, illum medicum anno 1837 hoc remedium adhibere incepisse, initio in praxi sua privata, et deinde in Nosocomio hujus urbis, in quod multi pueri scrophulosi laborantes recepti erant, eorumque medendi rationem cum publico communicasse (1). Cl. Nasse, seni venerabili, Bonnae, debentur merita de iteratis ibi in clinico experimentis et attentionem medicorum Germanorum eo direxisse (2). Etiam Bonnae dissertatione de hoc arguento eo tempore defensa est a Viro doctissimo M. J. Kreutzwald.

In nostris experimentis Juglandem regiam in variis morbis adhibuimus, forma quidem valde diversis, sed in quibus indoles vel saltem complicatio scrophulosa conspicua erat. Eodem modo Cl. Negrier se ad scrophulosin limitavit. Mor-

(1) Vid. Archives générales de médecine pour Mai et Juin 1841.

(2) Vid. Negrier, die Behandl. der Scrofeln mit Wallnussblättern. Herausg. von Nasse. Liber in vern. sermone ed. a viro exp. E. S. Finckensieper. Amst., 1844.

bus et novi remedii virtus medica constituant praecipuam partem ejus disquisitionum. Effectus sunt sequentes:

In 57 casibus scrophuloseos sub variis formis hoc remedium adhibuisse videtur, decem horum fuere *Tumores scrophulosi sine ulceratione*. Ex his aegrotis (quorum aetas variabat inter sex et quadraginta tres annos, et quorum sex ad sexum femininum et quatuor ad masculinum pertinebant), quatuor perfecte restituti sunt, quorum duo tamen recidiverunt. Sex insigniter emendati, quorum duo, acri frigore subito arrepti; exacerbationem passi sunt. In universum sanatio tumorum scrophulosorum est lentissima; Cl. Negrier eos saepe non nisi ante quinquagesimum diem post adhibitum remedium in ambitu diminutos vidi. In tumores scrophulosos cum ulceratione efficacitas remedii est celerior.

Duae aegrotantes *Chlorosi* laborantes, altera cum Amennorrhoea, cum Menostasia altera, perfecte sanatae sunt, adhibito Juglande, dum menses deinde apud ambas regulariter obtinebant.

Quatuor casus *ophthalmitidis scrophulosa*e cl. Negrier cum publico communicavit. In his remedium perfectam sanationem effecit. Vehementia inflammationis in uno casu per hirudines, derivantia, revellentia, nec non collyrio sedante et emolliente oppugnabatur; in reliquis haec remedia nullam fere emendationem attulerunt. Post haec Juglans intus extusque administrabatur eo cum eventu, ut in duobus casibus sanatio plenaria intra unum, in alio intra duos, in quarto casu post octo menses obtinuit. Una puella ex his aegrotantibus aliquod tempus post sanationem succubuerat enteritide chronica. In duobus casibus ophthalmiae cum ulce-

ribus corneae, photophobia et profluvio lacrymarum; in tertio cum maculis corneac, photophobia et lacrymarum profluvio, in quarto denique cum ulceribus et maculis corneac conjunctae erant.

Deinde in censem veniunt viginti aegri, laborantes *Tumoribus scrophuloseos cum ulceratione*. Ex his quatuordecim a morbo perfecte sanati, quorum autem tres recidiverunt; dum una moriebatur ob encephalitidem acutam. Sex insigniter emendati; ex his quatuor exacerbationem passi sunt, et duae succubuerunt, altera phthisi tuberculosa, pneumonia altera.

Ob *Cariem* et *Necrosin* curavit undeviginti aegrotos cum indicato remedio; horum octo laboraverunt carie ossium pedis et manus, unus necroso claviculae, quatuor carie articulationis tibiae et pedis; tres carie articulationis cubiti; duo carie articulationis genu; unus carie ossis ilei cum luxatione femoris spontanea et ulceribus fistulosis in ultimo stadio. Eventus fuerunt hi: ex eo numero decem perfecte convaluerunt, quorum unus hyeme recidivam passus est; quinque insigniter emendati sunt, inter quos unius malum exacerbatur, cui tandem accedit spondylitis. Duo non restituti; apud unum horum *Juglans* per biennium frustra administrabatur, qui tamen deinceps usu olei Jecoris Aselli et lotionibus externis Jodii penitus convaluerat; duo denique succubuerunt accidente phthisi tuberculosa.

Hisce duos casus magni momenti addit, in quorum priore Juglandem cum optimo; in posteriore vero fausto cum eventu adhibuit, quos hic obiter memorabo.

In priore sermo fit de puella, iam per septem annos laborante cheirarthrocacia cum carie, anchylosi articu-

lationis cubiti et insigni tumore antebrachii et manus, ita ut vitium adspicuum praekeret Elephantiascos. Jam diversae methodi medendi frustra tentatae fuere. Trimestris cum Juglande interna et externa curatio conditionem aegrotae universam et vitia localia emendaverat, quae curatio abrupta balneis marinis, deinde de novo instituta est optimo cum eventu.

In posteriore occurrit puella, iam quindecim annos aegrotans anconarthrocacia, cheirarthrocacia et arthrophlogosi pollicis, quae transierunt in suppurationem et exulcerationem cum subsequente carie, febri comitata; omnibus frustra adhibitis, exceptis balneis marinis, Juglans extus et intus conditionem meliorem reddidit.

Ex quinquaginta igitur et septem scrophulosis laborantibus, quorum triginta ad masculinum et viginti septem ad femininum sexum pertinent, et subjectum constituerunt curationis cum Juglande regia Cl. Negrier, triginta quatuor perfecte sanati sunt; quorum aegrotantium sex tamen recidivam passi sunt et duo obierunt, prior encephalitide acuta, posterior enteritide chronica. Unde viginti insigniter emendati, quorum vero sex subierunt exacerbationem et duo succubuerunt phthisi tuberculosa et pneumonia. Duo mortui sunt ex phthisi tuberculosa. Duobus remedium neque emendationem neque sanationem attulit. Haec series aliquatenus differt ab ea, quam Cl. Negrier ipse dedit in corollario ejus commen-tationis; verum eam mihi permisi, quoniam singulos morbi casus persecutus sum eorumque eventus computavi.

Quod si comparatio instituatur nostras inter obser-

vationes et Viri Cl. Negrier, statim oculis proponitur, nostras fausto eventu longe superari, cum 57 aegrotantibus modo duobus interfuerunt, quibus remedium frustra administraretur; contra vero in 8 nostris, si non quatuor, saltem tres fere nullam inde salutem acceperunt. In nostris tres tantum perfecte sanati sunt, dum iste numerus apud Cl. Negrier plus dimidio excedit. Apud Cl. Negrier 19 insigniter emendati sunt, cum ex nostris computati ad summum 8 debuissent. His accedit, apud nos, si observationem primam excipiamus, neque tam inveteratis, neque tam vehementibus casibus, quibus faustum even-
tum contingere licuit, oppugnatum esse.

§ 3.

*Enarrantur observationes doct. Kreutzwald,
Bonnae visae.*

Eventus, quos, adhibitis foliis Juglandis regiae, obser-
vavit doct. Kreutzwald, momenti sunt plenissimi propter
exiguam dosin et celeritatem actionis (1). Casus brevi-
ter perstringam, sunt sequentes:

Casus primus. M. R. 6 annorum, constitutionis debilis
et tenerae, habitus scrophulosis, laborat ophthalmite
scrophulosa amborum oculorum, cum photophobia,
profluvio lacrymarum, maculis corneae et tumoribus
scrophulosis colli. His cum frusta opposita essent
Aethiops antimonialis, Baryta, Jodium, oleum Jecoris
Aselli et revellentia, tria grana extracti fol. Juglandis

(1) De utilitate foliorum Juglandis regiae ad sanandam scrophulosin.

quotidie administrabantur, eo successu, ut post duos et quot excurrit menses conditio oculorum et glandularum lymphaticarum morbosarum valde emendata fuerit, et cum, deficiente remedio, curatio non amplius continuari posset, tamen ex impulsu praecedentis usus perfecta sanatio consecuta est.

Casus secundus. E. G. 3 annos natae, constitutionis tenerae, laboranti ophthalmite scrophulosa amborum oculorum, cum photophobia et profluvio lacrymarum, nec non fluore albo, neque oleum Jecoris Aselli contra scrophulosin, neque adstringentia adversus fluorem album opem tulerunt, hic tamen viginti diebus disparuit, et conditio oculorum insigniter emendata fuit, adhibito nostro remedio; praescribebatur intus extractum foliorum Juglandis ad grana 12 cum aqua pura et syrupo simplici ana ad unciam unam et pro usu externo lotio ex decocto.

Casus tertius. C. G. 3 annos nata, constitutionis tenerae et debilis, laborabat fluore albo e causa scrophulosa. Adstringentibus extus frustra oppositis, eadem curatione atque in casu secundo adhibita, post duodecim dierum sanitatem penitus recuperavit.

Casus quartus. M. A. G. 6 annorum, constitutionis debilis, parum evolutae, laborans porragine scutulata capitis, fluore albo, et tumoribus scrophulosis colli, eadem ratione ac supra post duos menses sanata est.

Casus quintus. F. G. 5 annos natae, laboranti porragine capitis extensa, eodem tempore et modo, ut in casu quarto, adhibebatur remedium memoratum, eo eventu: ut penitus restituta sit.

Casus sextus. H. O. 6 annorum, otorrhoeam habens e

causa scrophulosa et ulcera menti crustis obducta, intra unum mensem, interno usu extracti foliorum Juglandis perfecte sanatus est.

Casus septimus. F. M. fere 3 annos natus, capitis ampli, faciei inflatae, laboravit effluvio humoris acris enaribus cum excoriationibus labii superioris valde tumidi, et glandulis lymphaticis colli tumidis, induratis et mobilibus. Porro adfuerunt tympanitis, diarrhoea et sudor profusus, imprimis tempore nocturno, pressione abdominis variae glandulae induratae sub integumentis observabantur. Juglans adhibita est, eo cum eventu, ut iam post octo dies diarrhoea desierit; effluvium enaribus deinceps decresceret et post dnos menses et novem dies omnia fere ad statum normalem redacta essent.

Casus octavus. A. S. 2 annos nata, duabus sororibus, quae phthisi abdominali et tuberculis pulmonum succubuerant, superstes, laborans blepharo-ophthalmite et glandulis lymphaticis colli tumidis, induratis et nonnullis suppurantibus, nec non axillae et regionis inguinalis, deinde fluore albo. Venter tumidus erat. Appetitus exiguus. Postquam 12 hebdomades quater per diem dimidium grani extracti fol. Juglandis sumserat, sensim adscendens ad tria grana per diem, omnes functiones, imprimis digestio et appetitus, ad normam redierunt; glandulae lymphaticae morbose affectae penitus disparuerunt, excepta exigua induratione telae cellulosa ambientis, ceterum penitus convaluit.

Casus nonus. N. N. Constitutionis rachiticae, antea laboraverat carie columnae vertebralis in regione vertebrae ultimae cervicis et primae dorsi. Aliquod tempus post apparuit ulcus scrophulosum supra ex-

tremitatem scapularem ossis claviculae, ichorem tenuem secernens, cum marginibus interfossis. In diversis locis abscessus formabantur quos comitabatur febris hectica. Per decem menses omnia auxilia externa, uti fomentationes *Rustii* et alia, frustra adhibebantur, ita ut medicus de ejus vita desperaret. Post sex tamen hebdomades e misera in prosperam transiit conditionem adhibito nostro remedio.

Casus decimus. P. M. septem annos natus, aegrotabat tumoribus scrophulosis colli induratis, qui post sex hebdomades usu foliorum Juglandis omnes valde imminuerunt. Non continuabat Doct. *Kreutzwald* in adhibendo remedio, cum folia juglandis eo tempore Bonnae non amplius praesto essent.

In decem his casibus oleum Jecoris Aselli atque alia antiscrophulosa ante administrationem Juglandis, monente viro doctiss., frustra adhibita fuerant.

§ 4.

*Quid exspectandum de foliorum Juglandis usu medico,
imprimis in scrophulosi?*

Ad hanc liceat mihi respondere quaestionem solis fundamentis historicis, ducto iis, quae experientia ad aegrotantium lectum vera esse docuit. Optime quidem novi, hanc viam justam ad scientiam non esse, sed res meae et, quod mihi reliquum, est tempus, me prohibent aliter ad hanc respondere.

Ex omnibus, quae de hoc remedio disserui, fas concludere puto, in casibus, ubi est indicatum, minime

usque adeo cautum esse oportere cum dosi, in qua administratur. Etenim ad ea non pertinet medicamina, quae aegroto in paucis adpendantur granis. Cl. Negrier narrat, (1) se viginti centigrammata extracti foliorum Juglandis cum sufficienti quantitate pulveris ejusdem remedii, ad unam pilulam paranda, et quotidie duas eiusmodi pilulas sumendas curare. Nunquam, inquit, altius quam ad quatuor adscendi. Tam caute secundum nostra aliorumque experimenta cum remedio agi nequam necesse est, si praescriptum sit in casibus rite indicatis. Aptissime porrigi nobis visum est extractum in mixtura, cui medicamina addi possunt, qualia res circumstantes postulent. Quoties actionem adaugere placet, praescribi potest cum infuso ex iisdem foliis parato.

Commemoravi necessum esse, ut exhibetur modo remedium nostrum in casibus rite indicatis. Pertinet enim ad amara-aromatica blandiora: in aegrotantibus igitur irritabilibus atque erethicae conditionis non convenit eo uti. In morbo ubi praecipue praescribitur, in scrophulosis, adacta illa irritabilitas saepius manifesta est. Constituta est, atque jure, huius morbi distinctio in scrophulosin torpidam et erethicam. Haec scrophulosis erethica saepe observatur. Specifica inflammatio glandularum lymphaticarum, insuper arthrophlogoses sunt plus quam notae. Junior actas ipsa, in qua morbus maxime occurrit disponit ad auctam irritabilitatem. De scrophulosis torpida non est sermo, ast in posterioribus

(1) Conf. Archives générales de Médecine pour Mai et Juin 1841 vel commentatio citata Cl. Negrier et Nasse; in lingua vernacula tradita a viro exp. Finckensieper. Amst. 1844. pag. 76.

casibus, praesertim in constitutione delicata et irritabili, amarum aromaticum indicari nequit, saltem non adhibitu fas est, nisi summa cum cautione et accurata observatione. Vix experientia Cl. Negrier confidere possumus, certo eam confirmatam non experti sumus, remedii diu continuatum usum nunquam produxisse effectum nocivum, (1) imo contrarium in commentatione Cl. Negrier reperisse putamus.

Nimis longe nos dederet, si hac de re fusius discepere vellemus. Argumentis modo inserviant sequentes casus. In casu 33 legimus de puer 8 annos nato, scrophulosi laborante, restituto post adhibitum remedium; non autem manifesto apparet, num post, num propter medicamen fuerit restitutus: hoc accedit die 20 m. Februario. Mense Augusto recidit puer; ratio medendi de novo coepta est; die vero 8 m. Octobris moritur ex encephalite acuta. In casu 34 remedium rustico, 28 annum agenti, inflammationem omnium glandularum tumidarum colli attulit, et sub maxilla dextra abscessum valde extensem. In casu 35, 15 annos agens aegrota post usum huius remedii adficiebatur pneumonia, quae post septem dies in mortem exiit. In casu 42 incepit curatio cum remedio, die 4 m. Augsti. Versus finem huius mensis aliquatenus emendatum iri videbatur; ast puer versabatur in statu febrili et obiit die 4 m. Septembri. In casu 52 orta est post diu protractum usum spondilitis. Etiam si tristis eventus in omnibus his casibus verosimiliter foliis Juglandis non erit adscribendus, in nonnullis tamen remedium non plane absolviri posse videtur. Accedit, quod

(1) Vid. libri citati pug. 40, 41, 42, 52, 60.

si omnes casus post sanationem aliquod usque tempus contemplati essent, accuratius judicare potuissemus; sed multi aegrotantium ad finem curationis visi non sunt, et plerique post restitutionem non amplius observati videntur.

Quod ad casus decem attinet, quos cum publico communicavit Doct. Kreutzwald; hi omnes felicissimo coronati sunt eventu, sed apud omnes aegrotantes, a Viro expert. commemoratos, et constitutio et status praesens morborum, rerumque porro adjuncta omnia maxime favebant usui nostri remedii. (1)

Interea nihilominus assentior constitutis a Cl. Negrier. Remedium promovet digestionem et circulationem. Omnes insigniter corroborat functions. Singularem exserit actionem in systema lymphaticum; sub ejus efficacitate musculi fiunt firmiores; cutis recuperat colorem rubrum normalem, amittens celeriter alborem oedematosum. Idem observavimus, ideoque habemus remedium tanquam utile indicatum in conditione torpida, in statu leucophlegmatico, in aegrotantibus, qui diu versati fuere in statu exhaustionis, quorum humores pauperiores facti et soluti sunt.

Recipietur extractum foliorum Juglandis inter febrisfuga? Observationes Cl. Negrier ea de causa momenti expertes sunt: et ubi complicatio obtinuit scrophuloseos cum febri intermittent, non haesitarem curationem cum iis inchoare. Verum enim vero tot activa possidemus febrisfuga, etiam extra corticem Peruvianum ejusque praeparata, ut novo non indigeamus febrisfugo. Modo tanquam tale foliis Juglandis regiae carere possemus.

(1) Vid. Diss. laudata de utilitate foliorum Juglandis ad sanandam scrophulosin. Bonnae, 1842.

Hoc remedium excipiet oleum Jecoris Aselli? Non credimus, vis medica salutaris olei Jecoris Aselli extra omnem dubitationis aleam posita est. Promotor aestum. Cl. Suerman, oleum Jecoris Aselli considerat tanquam unum saluberrimorum cruciato generi humano medicamentum recentioris aevi. Factum est remedium domesticum, quod multa noxia et periculosa alia suppressit. Agit tanquam antiscrophulosum alia ratione, quam folia Juglandis regiae, quae fortasse melius cum queru comparari possunt. Glandes querci tostae quondam in scrophulosis celebratae fuere, atque merito, sed oblitae videntur.

Etiamnum alteram animadversionem Cl. Promotoris hic mihi addere liceat de his ambobus remediis, nobis in ejus clinicis lectionibus traditam, ibique optimo cum eventu observatam. Oleum Jecoris Aselli saepe non, aut difficilime perfertur. Pingue remedium jam difficulter ventriculo accipitur; imprimis vero non sine molestiis digeritur; contra autem folia Juglandis adaugent activitatem et vim digestricem huius organi. Lubens dantur stomachica, e. g. cortices aurantiorum aut similia, quoties oleum Jecoris Aselli ventriculum gravat. Multo melius hoc extractum foliorum Juglandis inservire potest: scopus curationis eo citius attingitur, aptius oppugnatur morbus; corrigens, ut dicitur, ad princeps remedium elevatur.

T A N T U M.

THESES.

I.

Aequilibrium inter circulationem minorem et majorem
praecipue promovetur forma valvulae tricuspidalis.

II.

Utilitas glandulae Thyreoideae imprimis constare videtur, quod nimium sanguinis impetum a corde in cerebrum derivet; merito ergo sanguinis receptaculum consideratur.

III.

Inaequalitas in pulsu radiali utriusque lateris est unum inter symptomata, Hydrothoracem lateris sinistri indicantia, maximi momenti.

IV.

Qui vomitum vomitu curat, saepe errat et peccat.

V.

»Es giebt viele Arzten, welche bei der Behandlung entzündlicher Zustände keinen Werth auf die pharmaceutischen Mittel legen und Alles mit den Blutentziehungen auszurichten glauben. Sie haben Unrecht, denn durch geschickte Anwendung pharmaceutischer Mittel kann man seinen Patienten viel Blut ersparen.“

Stromeyer.

VI.

Inter remedia antisyphilitica Hydriodas potassae princeps habendum.

VII.

In Typho raro detractiones sanguinis universales conveniunt.

VIII.

Curatio aptissima, licet palliativa, carcinomatis occulti in eo tantum consistit inflammationem paevertere telae tegentis.

IX.

»La chirurgie veut de la prudence et exclut toute témérité.«

Moreau.

X.

Tracheotomia in angina tracheali membranacea rejicienda.

XI.

Non licet sectionem venae jugularis instituere, nisi in casu maxime urgenti.

XII.

Exstirpatione glandulae Thyreoideae ad tollendam strumam est operatio anceps et prorsus rejicienda.

XIII.

In luxatione humeri inveterata satius est morbum sibi relinquere, quam tentaminibus violentis eam repicare conari.

XIV.

Placentae solutio optimum saepe remedium est metrorhagiae sistendae.

XV.

Male ex hodiernis nonnulli docent, vecte nos penitus carere posse.

AAN MIJNEN VRIEND

W. N. KOOPMAN

BIJ ZIJNE BEVORDERING TOT MEDICINAE DOCTOR.

't Is schoon, de trotsche kiel, onwrikbaar op de baren
Der wereldzee te zien, daar zij den storm niet acht,
't Is schoon die kiel te zien de haven binnenvaren!
Ja, heil den schepeling, die zulk een' togt volbragt.

Maar schooner is 't gezigt, als 't bootje rank en teeder,
Met kostbren last bevracht, het vratig zilt ten spijt,
't Is waar, gesold, gebeukt, geslingerd heen en weder,
Door Gods bestuur geleid, op veil'ger watren glijdt!

Die ranke boot gelijk! zag ik U moedig strijden,
Gij boodt niet slechts 'tgevaar der branding tegenstand,
Waarin zoo menigeen, helaas! moet schipbreuk lijden,
Die, onbesuid door jeugd, regt aanhoudt op het strand!

Maar stormen, tegenwind, het romm'lend donderrollen,
Het krakend bliksemvuur, in 't midden van d'orkaan;
Niets kon U 't jeugdig bloed ooit doen in de adren stollen;
Gij bleeft, het oog omhoog, als man kloekmoedig staan.

Gij hadt niet slechts de zee der wetenschap te bouwen,
Die toch zoo grondloos is! — Van Hooger hulp bewust,
Bleeft gij, met fierer moed, in tegenspoed vertrouwen;
God gaf ze als Vader U, — Gij droegt ze als kind gerust!

Triomf, mijn vriend! Triomf! de strijd is nu volstreden,
Het vrachtloon voor uw' togt lacht welgeteld U aan,
Gij staat op 't havenhoofd: de zee van het verleden
Ligt achter U; en voor? een glorierijke baan!

Maar Gij kent al te wel de pligten, die U wachten;
De zaligheden, die het loon dier pligten zijn;
Gij zoudt mijn zwakke schets van al dat schoon niet achten;
Ik zwijg daarom: — de taal is meestal flauwe schijn.

Maar 't waar gevoel, mijn vriend! méér dan millioenen woorden,
Zegt ook tot U; »Elk Arts, die goed zijn roeping kent,
»Ontlokt aan 't Englenheir de blijdste dank-accoorden;
»Hem volgt des Hemels vlock, als hij haar eerloos schendt.”

Herinner dat U, vriend! niet slechts, als rijke kranken
U, koel, een handvol gouds voor uwe hulpe biën;
Maar ook als zij, wier schat bestaat in schreijend danken,
In U hun toevlucht, steun, hun reddings engel zien!

't Sta helder voor uw' geest! als de arme U komt wekken
In 't holste van den nacht, bij sneeuw of hageljagt;
Ontzie noch kou' noch sneeuw, om dáár tot hulp te strekken,
Waar de arme, diep bedroefd, naar Uwen bijstand smacht!

O, doet ge zóó, dan zal bij God de dag van heden
De dag ook zijn, waarop ge als Arts Hem zijt gewijd!
Dan schenkt Hij Uwer kunst op aarde reeds een Eden:
Schep uit dat Eden, Vriend! voor U een Eeuwigheid!

P. J. F R A N K,

Officier van Gezondheid.







